

Miscellen.

Coniectanea.

I Scholion ad Clementis Al. protrepticum 4, 49 adscriptum hoc est (editionis Oxoniensis I p. 429, 6): πυραμίδες οἰκοδομήματα ἐν Αἰγύπτῳ ἄπερ ψκοδομήθη εἰς μνημάτων χώραν, ὡς μαρτυρεῖ τὸ ἐν αὐταῖς ἐπίγραμμα οὕτως ἔχον

μνήματα Κερρήνός τε καὶ ἀντιθέου Μυκερίνου
καὶ Χέοπος κατιδῶν Μάξιμος ἡγασάμην.

tum de etymo pyramidis plura adiecta sunt non absimilia eis quae leguntur in Etymologicis. Maximus ille si bene conicio est T. Statilii Maximus, in Aegypto qui commoratus anno Chr. 136 Memnonis in signo trochaeos iambosque et pedestrem titulum inscripsit (*meas quoque aures Memnonis vox incidit, nomen cioto quisque vatem Maximum*), quem in graeco syringis Thebaeae titulo Timotheus quidam una cum Philopappo rege memorat idiologum appellans et doctissimum hominem sibique amicissimum (CIL. III 463 ind. lect. Bonn. aest. 1876 p. 11). itaque ut imp. Hadrianus sic procurator eius Alexandrinus tam graeca quam latina ac variorum numerorum poemata pangebatur. elegidarium istud descriptum ex pyramide chartis tradidit et ad nostram memoriam propagavit grammaticus Aegyptius, quantum coniectura auguramur, Orione Thebano non vetustior.

In scholio eiusdem libri 1, 2 (ed. Ox. p. 414, 23) Eunomus narratur aere fictus fuisse Delphis κισθάραν διηγκυλωμένην καὶ ἐπὶ τῇ κισθάρᾳ τὸν τέττιγα φέρων. quibus verbis accedunt in Mutinensi codice saeculi XI haec ex aliqua parte extincta . . λ | καὶ ταυτὶ ταστιχερ . . γεία | εὐνομον ὦ . . λλον σὺ | μὲν οἴσθᾳ με καὶ ἐξῆς. sententiam facile perspicimus: ὄθεν καὶ ταυτὶ τὰ στιχάρια, sive ἐλεγεία scriptum fuit, Εὐνομον ὦ πολλων σὺ μὲν οἴσθᾳ με id est epigramma APal. IX 584. desunt haec in codice Arethae: qui adiecit, fortasse Cephalae librum legerat.

II Iuvenalis scholia inedita C. Beldame nuper inserenda curavit gallicis philologiae epoptisi (*Revue* 1882) VI p. 76—103, deprompta e codice Nicaensi Ligurum. saeculo XII editor tam scholia pleraque quam saturas ipsas scripta esse narrat, perpauca posterius. de aetate codicis viderint qui inspicient iterum: commentum istud, nequid antiquitatis aut bonae frugis, quod genus Pithoeana scholia et Probus Vallae sunt, in spem veniat, usque quaque saeculi XV noviciam doctrinam et collectivam refert. ad sat. III 159: *Otho cum romanos equites mixtos cum cetera plebe spectare solitos lege lata segregasset, et ob id plebs se despectam putans summo odio in Othonem accensa venientem in*

theatro maledictis et iurgiis incessisset, e contrario equestris ordo reclamaret, animis undique inflammatis Cicero per id tempus consul advocata confestim plebe ita dicendo ex tempore mentes immutavit, ut in theatrum reversa Othoni applauderet. ἢ τὸν in arce bovem, descripsi magnifice, inquit' ut in transcursu emendem Lucili versus et admoneam quorsum pertinuerit: sed sumpta est descriptio ex interpretatione latina Plutarchi nescio qua, certe derivata de Plutarchea vita Ciceronis cap. 13. graeco hoc scriptore ille aliquotiens utitur, quid mirum si Catulli et Properti et Priapeorum versiculos idem novit? scholiorum pars magna edita est, immo plus quam satis, nam οὐδὲν ἱερὸν.